

& prava cogitant, & mala aliis moliuntur, à divina Communionem seipsos prohibent. Qui sibi purpurisso vultus humectant, & cerussa genas illinunt, dealbantque, & ad speculum comantur, ut homines ad nequitiam, & pravas cupiditates, amoresque satanicos incitent, atque implicent, ii in die iudicii non pii reperientur, sed ut Dei præceptorum contemptores torquebuntur. (*Ibidem.*)

XIX. Respiciamus eos, qui cum maxime effrænata bestia, paupertate nimirum, luctantur... ita namque verum & purissimum jejunii genus Christo exhibemus. (*Homil. 5. de Fest. Pasch.*)

XX. In Paradiso omnis tristitiæ nostræ initium fuit: in horto vero, Christi quoque passio inchoatur. (*Homil. in Joan.*)

XXI. Miti ac benigno Sermone allocutus in terram prostravit, ut hinc disceremus, rerum creaturarum naturam ne unam quidem Dei vocem, eamque perhumanam ferre non posse. (*Serm. 5. in Joan.*)



SENTENCIAS ESCOGIDAS

DE TEODORETO.

Correspondientes al Capítulo III. Artículo IV.

I. Puto divinam legem statuere, ne quis nomen Dei pronuntiet sine aliqua ratione, aut docendi, aut orandi, aut necessariae cujuscumque occasionis. Solent enim nonnulli etiam ludentes, & ridentes, ut inciderit, reverendum nomen Dei lingua proferre, hoc arbitror divina lege prohiberi. (*Quest. 41. in Exod.*)

II. Quid significat illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & quæ sequuntur? Manifeste nos docuit Dominus, neminem posse duobus dominis servire. Et hoc igitur loco docemur dilectionem non partiri in Deum & aurum, in Deum & uxorem, in Deum & liberos, in Deum & amicos; sed totam dilectionis vim Creatori Deo consecrare. Deinde secundum Creatorem, quæ unicuique conveniant impartiri, & parentibus, & uxori, & liberis, & fratribus, & amicis. Si quidem pertinet ad dilectionem Dei, hæc etiam præstare. Qui enim diligit me, inquit, mandata mea servabit. Mandata vero Dei ista præcipiunt. (*Quest. 3. in Deut.*)

III. Et si pro pietate certantibus nullum propositum esset præmium, poterat ipsa per se veritas amatoribus suis persuadere, ut in subeundis pro illa periculis summam lætitiæ præ se ferrent. (*Epist. 21. ad Eusebium...*)

IV. Fertilitas, & sterilitas terræ, secunda navigatio, & naufragium à Divina pendent Providentia. Quare in iis, quæ ab ea fiunt, acquiescere omnes oportet, nec causas curiosius inquirere: incomprehensibilis enim est divinæ gubernationis ratio. (*Hæret. Fabul. lib. 5. cap. 10.*)

V. Medicabilia sunt etiam, quæ post Baptismum fiunt

vulnera : medicabilia autem non ut olim per solam fidem data remissione : sed per multas lachrymas , & fletus , & luctus , & jejunia , & orationem , & laborem commissi peccati magnitudini respondentem. Qui enim sic affecti non sunt : eos nec desperare docti sumus , nec illis facile sacra impartiri. Nolite , inquit , darē sanctum canibus , nec projiciatis margaritas ante porcos. Has Ecclesia de poenitentia leges habet. (*Ibid. c. 28.*)

VI. Divitiarum affluentia , avaritiæ faci materiam ministrat ; & malitia si opes adjuvantes nacta fuerit , ingentem flammam incendit , dumque voluntati vires accedunt , malum reddunt intolerabile : virtutis autem cultores in paupertate vivunt. (*De Provid. Orat. 6.*)

VII. Initium bonorum esse ajunt (sacra Evangelia) laudabilem timorem Dei. Initium enim sapientiæ timor Domini , ut Salomō , & ejus Pater docent. Finem vero vitam divinis legibus excultam. Beati enim immaculati in via , qui ambulant in lege Domini : Beati , qui scrutantur testimonia ejus , in toto corde exquirunt eum. Hoc idem nos in Evangeliiis docuit universorum servator : Beatos enim vocat , non divites , & deliciis fruētes , & quibus prospere fluunt omnia , sed pauperes spiritu , & mites , & misericordes , & qui esuriunt , sitiuntque justitiam , quique ob aliquod bonum adversi quidpiam patiuntur , & iis , qui in his , aliisque ejusmodi naviter si gesserint , cælorum regnum pollicetur. (*Serm. 21.*)

VIII. Oportet non solum scire quid de Deo sentiendum sit , verum etiam ad illius leges vitam , moresque institueret. Imitatur autem , quantum licet , universorum Deum is , qui ea diligit , odioque pariter prosequitur , quem Dominus ipse diligit , & odio habet. Quæ vero illi invisa , quæve grata sint , divinæ leges manifeste docent. (*Serm. 12.*)

IX. Probet autem seipsum homo , & sic de pane illo edat , & de calice bibat. Tui ipsius judex esto , actuumque tuorum exactus arbiter conscientiam scrutare ; ac tunc donum suscipe. Qui enim manducat , & bibit indigne , judicium sibi mandu-

cat , & bibit , non dijudicans corpus Domini. Non solum enim salutem inde non assequeris , si præter fas acceperis , sed tuæ etiam in eum petulantia poenas dabis. (*In epist. 1. Corinth. cap. 11.*)

X. Quo magis in rebus divinis versatus quis fuerit , eo magis accendit flammam dilectionis. (*In Orat. de Carit.*)

XI. Velim ne humanis rationibus inquisitionem veritatis subjicias , sed Apostolorum , & Sanctorum , qui hos secuti sunt , vestigia inquirentur , &c. (*Dialog.*)

